



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvim Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

De Papæ prouisionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

nem capere per se, vel per procuratorem, cum non sit actus personalis. l. i. §. per procuratorem. ff. de acquir. poss. vbi plene Docto.

Decimosexto si prouisus per resignationem velit accipere possessionem ecclesie parochialis, debet in ea ipsa ecclesia, & die dominico, vel die festo à clero & populo celebrato tempore quo diuina tractantur, videlicet missæ, aut vesperorum, possessionem recipere ex edicto Regio, de quo dicam infra in 3. parte. & facit text. in l. i. C. de his qui in ecclesia.

Decimosextimo debet quis possessorio agere adipiscendæ, retinendæ, vel recuperandæ possessionis, nisi prius adeptus fuerit possessionem. cap. Pastoralis. vbi Panor. de caus. poss. at in hoc regno interdicitur adipiscendæ maxime in beneficiabilibus quiescit.

Quod limitatur nisi impeditus fuerit ab aduersario, tunc pro possidente habetur. l. in iure ciuili. ff. de reg. iur. Doct. in l. i. §. si iusserim. ff. de acquir. poss. Carol. Rum. cons. 161. præmittendum in 1. vol.

Decimooctauo non potest quis constituere procuratorem ad adipiscendam possessionem antequam ius habeat in beneficio, quia non potest disponere de re, quam non habet, aliàs dicitur inuasor. l. si quis. §. l. inuasor. C. unde vi. sic nec constituere procuratorem ad permittendum beneficium, quod non habet. de Rois decis. 142. & 129. vtrum in antiquis. plene probauit in consil. incipient. procuratorum. vbi dixi in illum non esse intrusum, si non fuerit adcepta possessio ante ius habitum.]

De Papæ prouisionibus.

Primo iuste acquiruntur nobis beneficia per Papæ prouisionem, quæ aut fit de vacaturis, aut de vacantibus. cap. 2. de prebend. in sexto. Ad vacatura multis modis Papa mandat prouideri. Primo cuidam priuilegium concedendo, ut ipse possit conferre beneficia, cum vacabunt, vbi in cap. 1. cui. & cap. si cui primo. de prebend. lib. 6. vel ut quis nominare possit, forte ad Episcopatus & Abbatis: vbi in ca.

quod sicut. de electionibus in tract. de nomina. Reg. in Concord. vbi scripsi, & varia super his prouisionibus concessa fuerunt olim priuilegia: quæ multa tendunt in totius ecclesie catholice grauem perniciem. quamobrem reuocanda, quod non facile erit. Aliquando iubet Papa de his vacaturis prouideri per mandatum, reseruationes expectatiuas, aliaque varia rescripta: quæ singula suo ordine videamus. Et ad faciliorem horum interpretationem præmittendas duxi aliquot differentias inter priuilegium & mandatum, quibus adiungemus & rescriptum.

Differentie inter Priuilegium, Rescriptum, & Mandatum.

Nunc antequam ad alia perueniamus, dicendum est rescriptum, priuilegium, beneficium, & mandatum quo modo differant, & differentias, inter rescripta gratiæ, & iustitiæ: deim declarabimus rescripta ad vacatura, & ad vacantia, & singula membra, quantum attinet ad materiam beneficalem: postea prosequemur, etiam quædam rescripta communia, seu mista, quæ à Papa & Principibus secularibus conceduntur: quibus visis, materia ista rescriptorum completa erit: & beneficialis quæ iam dudum latuit, & clausulas multas rescriptorum inferam, adhuc non elucidatas, quæ tamen in forensi iudicio versantur, & necessariae & vtilis sunt, maxime ut praxis Roma super impetrationibus gratiæ intelligatur.

2. Primò itaque dicendum est de beneficio: sed quia in huius libri principio conscripti: ideo tantum dicam de rescripto, priuilegio, & mandato: & quid inter se differant.

3. Primò priuilegium est ius singulare, quod contra tenorem rationis propter aliquam vtilitatem constitutum est. l. ius singulare. ff. de legib. c. si. 25. q. 1. circa si. ibi, neque enim priuilegia aliquibus concederetur, si propter generalem legem, nulli aliquid speciale indulgeretur.